VIRGINIS
in
NIVE
THESAVRVS

25

Oratio
HABITA NONIS AVGVSTI
in Sacello Gregoriano Basilicæ Vaticanæ.

AB AVGVSTINO PARIS ROMANO
Vaticani Seminarij Cl.



ROMAE, Ex Typographia Manelphi Manelphij. 1642.

SVPERIORVM PERMISSV.

Conv.^c Fran.^c

Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo

CAPITVLO, ET CANONICIS

Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ.

AVGVSTINVS PARIS VATICANI SEMINARII CL.



Heſaurus Niuis, quem delabentem è cælo hac oratione piè collegi, cui aptius offeratur, quam vobis (Illuſtriſsimi DD.) reperio neminē; quorum luculenta in hoc Seminarium liberalitas Niuem ipſam quodammodo videtur æmulari, dum ſplendeat ſimul, & proſit; neque à nobis quicquam proficiſci debet, quod eidem liberalitati veſtræ ſuo iure non debeatur. Ipſe verò agēdis gratijs facilè abſtinebo, vtpotè tanto oneri impar, cùm & noſtra tenuitas reddendi vicē non ſuggerat facultatem, & beneficia veſtra numero, & magnitudine mutuum non repoſcant. Hoc tamen qualecunque obſeruantiæ noſtræ argumentum vobis DD. ac Patrónis noſtris, tanquam ſtudiorum Vectigal ſolemne dependimus. Illud, quæſo vos, excipite, & valete.

ORA-



ORATIO.



CÆlum (Eminentiſs. Princeps, & Illuſtriſs. DD.) diuinæ liberalitatis ærarium anniuerſaria nobis pompa Theſauros ſuos hodie recludit. Et quidem ad terram vel ditandam, vel exornandam, nullum promptuarium pretioſiores ſuppelleẽtiles, aut grotioſiora proferre valet ornamenta, quàm cælum. Quod eò libentiùs impræſentiarum oſtendit, quò beata Virgo ſupernarum arbitra facultatum, vberiori copia neſcio an argenti dicam, an Niuis, vt ve eſt, nonniſi pretioſum depluit, quod è Virginis depluit ſinu, inaudito modo & Exquilinã aream ſibi præſignat in templũ, & hanc celeberrimam diem cultum auſpicatur in ſuum. Nimirùm cæleſte illud ærarium Quæſtorem nobis non habet amicum magis liberaliſsima eiuſdem Virginis manu. Et nos felices vbi hæc cæleſtium gratiarum adminiſtra tornatiles admouet manus ſuas,

nemo ſanè erit, cui bona quàm plurima non ſuppetant: vt hodie videre eſt, cùm pijs Coniugum exorata precibus, Cælum aperit domini theſaurum optimum: Theſauros Niuis ingreditur: Niui præcipit, vt deſcendat, quæ rupto temporum fædere tanto accelerata imperio non tàm ad vbertatem, quàm ad terræ prolabitur ornatum.

Terra, quæ prius erat arida, & ferè mortua, omni tùm decore, tùm fructu deſpoliata, hoc niuali fotu rediuiua, tota vitam halat, tota multiplices abit in partus, nihil oſtendit in ſe non vitale; quippe cui cælum amicum arridet. Quod diebus Eliæ in Iſrael non fuit, quibus multæ viduæ erant, quando clauſum eſt cælum. Ecquid aliud in terra clauſo cælo appareat, quàm orbitates, quàm mortes, quàm omnis ſolatij vacuitas? Ecquis mortem poſsit effugere, cælum habens clauſum? Infelix terra illa, cui cæleſtis gratiæ ſuſpenduntur influxus.

Verùm ætas hæc noſtra, qua Chriſtiana pietas triumphat, eas ærumnas nuſquàm nouit ſuſtinere. Non enim ſunt dies Eliæ, non regnũ Achab, non ſacrilegus populus: gens ſancta, Chriſti hæreditas, regale ſacerdotium; dies Mariæ, dies quibus Deipara Virgo patrat admiranda, dum recluſis cæli promptuarijs ætherias nobis opes di-

largi-

largitur. Cælum porrò nè dicas æreum, non ferreum, sed totũ liquefactum, sed totũ mellifluum. Nescit hoc cælũ ad pœnas occludi reatuum, vbi Petri cælestis ianitoris sunt pręsto claues; vbi cæli claustra vel tanti Principis nutu reserantur ad veniam: nesciunt hæc sidera non nisi benignum exudare humorem: & vno verbo dicam cælum esse Romanum, cui proprium, & genuinum est, vitales semper impluere gratiarum influxus. O temporum nostrorũ felicitas summa! ò seculum verè aureum! Aureum dixi, Auditores? Aptiùs dixerim, ò seculum verè niueum! Quidni? si hac Niue, tanquam candido lapillo currentis æui designatur felicitas; eaque nobis commoda niueus imber importat, quæ nequit suppeditare totum mundi aurum.

Aurum terræ materies vilissima, quod pretiosum non natura instituit, sed hominum voluntas efficit, laborum seges, eneruatio virtutum, malorum esca, pernicies possidentium. Væ mundo, si auro plueret: pluit olim semel (si poetis vlla fides) & pluit in puellarum dedecus, in pudicitiæ iacturam. Non hæc à pluuijs Niuibus reformidanda sunt mala. Nix semper innocua vt nescit lædere, ità nunquàm obesse nouit, vtpotè nobilis cęli partus pellucidis elementis conflata ne degeneret

generet infæditatem, è dominicis thesauris prodit, vt prosit.

At diuina liberalitas nunquam vno consueuit sistere benefitio, nunquam non messes meditatur copiosissimas. Beata Virgo à pijs Coniugibus instituta hęres, precantium votis benigne arridet, eorumq. bonorũ in possessionem descendit cum Niue; qua simùl & miserã mortalitatem non minus Sirij, quàm culparũ ardore refrigerat æstuantem, & Niuem pręclarum castimoniæ argumentum, tanquã semina Virginitatis vberrimè dispergit, vt latiùs in terra hæc virtus proseminetur. Ipsa nãque est Virginitatis feracissima planta, de qua egerminant quæcumque in toto terrarum orbe Virgines florent; eiusque Virginitas quotidie nouis fætibus exultat, itaut quidquid in mundo virgineum est, quidquid est castum, sit partus Mariæ.


Felicissimam igitur te dicam Roma, quæ Troianis olim è flammis ad regnum nata terrarum, meliori auspicio è Virginea Niue, quasi è castitatis seminario ad commune cum Maria videris renasci puritatis imperium. Et te quis fortunatum non prædicet Exquiline collis? Non ampliùs Exquilinus, sed Virginalis collis, nouis titulis æternandus. Exulta amate collis, exulta

nuperis

nuperis cæli fauoribus. O quàm pulchrescis huius Niuis candidatus albore! Submittite finitimi colles Exquilino fastigia, ei tantam dignitatem, tantam pulchritudinem accurrite gratulatum; qui gloriosior efficitur niueo munere, quod illi cælitus per Deiparæ depluit manus, quàm si ex eius visceribus inexhaustæ metallorum venę exilirent. Et Virginea Nix (Auditores) thesauros suos habet, & thesauros desiderabiles: ad quos tutus est accessus, non iter imperuium, non difficilis inuentio: non enim in terræ penetralibus reconduntur, non ibi accubant flammantes dracones; sed palàm expositi patent in agro, quò vel ipsa lenitas, & candicantia Niuis mortales omnes allicit, vt adeant, accipiant, ditescant.

O vtinàm vasa humanitatis nostræ his opibus ditarentur, ò vno castitatis ornarentur candore; cuius innata pulchritudo, etiã cælestium principum gloriosos ornatus æmulatur; tantæ profectò virtutis adminiculo proximè aptaremur ad gloriam. Vnde mihi fas sit repetere oraculum illud Euangelicum, Leuate oculos vestros, videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem: regiones tùm albicabant ad messem, vt in cælestia horrea intrarent, sed albedo illa è castitate manabat. Repetam & non ineptè, Videte nunc (Auditores)

res) videte regiones, quia iàm albæ ſunt ad meſſem; candicant ad meſſem regiones noſtræ, virgineæ Niuis beneficio, Niueus candor meſſem noſtram indicat; nimirùm ex quo albicare cœperimus caſtitatis propoſito, & opere, iam vicina meſsis, iam horrea cæleſtia nobis aperta apparét. Amplectamur ergo hãc edecumatã virtuté, hunc integritatis theſaurũ indeficientem, de cuius munere habemus ad æternas cæli manſiones deſignari. Et ſi vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, ne defoſſo auro incubemus, ne cor noſtrum terræ infodiamus cum auro, ſed huic vni Virginitatis Theſauro cor noſtrum acquieſcat, illo delectetur, qui & impretiabilis eſt, & impretiabilis hic VIRGINIS in NIVE THESAVRVS.



res) videte regiones, quia iàm albæ ſunt ad meſſem; candicant ad meſſem regiones noſtræ, virgineæ Niuis beneficio, Niueus candor meſſem noſtram indicat; nimirùm ex quo albicare cœperimus caſtitatis propoſito, & opere, iam vicina meſsis, iam horrea cæleſtia nobis aperta apparét. Amplectamur ergo hāc edecumatā virtutē, hunc integritatis theſaurū indeficientem, de cuius munere habemus ad æternas cæli manſiones deſignari. Et ſi vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, ne defoſſo auro incubemus, ne cor noſtrum terræ infodiamus cum auro, ſed huic vni Virginitatis Theſauro cor noſtrum acquieſcat, illo delectetur, qui & impretiabilis eſt, & impretiabilis hic VIRGINIS in NIVE THESAVRVS.

